

Yc
3539



VIII, 87.

2.822.







DeVs ægrè habent! Ipse pLaCIDè aDsis!

DE

FATO INCENDII

LAUBANENSIS

TRISTISSIMO PIO EQVÈ DEBI-

TO ERGA MECOENATES ET COGNATOS

AD FECTU PROFECTA

ORATIO

Quà

Dolorem suum ex Sorte Eorum miserimâ ortum in conventu

& confessu Virorum Budissinensium Spectatissimorum, Anni flu-

entis Millesimi, Sexcentesimi, Quinquage-

simi Noni

Die

LAURENTII

testabatur

Gottfried Wiefener / Raceburgo

Mekelnburgicus.

~~~~~  
BUDISSÆ,

Typis CHRISTOPHORI Baumann.

Dn. Mag. h. b. d. p. l. a. c. i. d. e. d. a. l. e.  
DE

FATO INCENDII

LABARANENSIS

V I R O

Magnifico, Generoso, maximèq; Strenuo

Dn. Gottlob Ehrenreich

à Gerßdorff/

Hereditario in Kaupa &c. Serenissimo Electori Sa-  
xonix à Consiliis Domesticis, & Diocesis Budissinensis Ca-  
pitaneo Spectatissimo.



*Nec non*

VIRIS

*Nobilissimo, Amplissimis, Reverendis, Consultissimis,  
Doctissimis*

Dn. JOHANNI VVINCKLERO  
Hereditario in Resdorff & Steckicht / Consuli Laubæ Gravissi-  
mo, Juris-Practico Celeberrimo.

Dn. JOHANNI Heer / Pastori Ec-  
clesiæ Primario, Inspectori Scholæ  
Dignissimo.

Dn. M. SALOMONI Haugsdorff /  
P.L.C. Archidiacono ibidem Meritissimo.

Dn. GEORGIO SIGISMUNDO Borberg  
Protonotario Reipublicæ Budissinensis  
Solertissimo.

Dn. JOHANNI HIELSCHERO  
Senatori Reipublicæ Laubanensis  
Integerrimo.

*Magnis suis Meccenatibus, Patronis, Fautoribus  
& Consanguineis humillimè offert, & ad  
pedes Eorum submissè deponit*

G. W.

## AUSPICE CHRISTO!



Iri Nobiles, doctrinâ multimodâ, Ex-  
perientiâ singulari, famâq; non obscurâ.  
Spectabiles, Honorabiles

Comminiscuntur Artifices in com-  
mentis excogitandis præ ceteris feli-  
cissimi, Minervam DEAM illam & Imperatricem  
Artium Liberalium convocasse quondam quinq; ea-  
rundem, vocatisq; ut animal illud viventium miser-  
rimum describerent, & ex propriis definirent, injun-  
xisse. Cœpisse itaq; DIALECTICAM simpliciter,  
uti pleraq;, Homo est breve Enthymema, pro Ante-  
cedente habet ortum, pro Consequente interitum,  
Secutam ASTROLOGIAM suffragio tali. Homo  
est quasi Luna mutabilis, quia nunquam in eodem  
statu permanet, sed semper ad corruptionem tendit.  
Hinc Naturæ Indagatricem PHYSICAM, quæ laco-  
nicè ita: Homo est animal rationale mortale. Succes-  
sisse indè ingeniosissimam omnium MATHEMA-  
TICAM, sententiamq; suam hisce absolvisse. Homo  
est veluti figura sphærica, quæ ab eodem, quo incipit  
puncto, in idem terminatur. Sic Homo de Terrâ ini-  
tium sumens in terram tandem redigitur, atq; adeò  
de cinere in cinerem. Tandem colophonem ad-  
didisse RHETORICAM, Homo est Oratio, Cujus  
Exordium est nasci; Narratio dolere; Epilogus mo-  
ri. Orationis hujus figuræ sunt gemitus & fletus, vel  
g au-



gaudium fletu deterius. Scitum sanè scitamentum,  
callidum imitatuq; dignissimum, Imitor.

Non nescius ego infirmitatis, imbecillitatis &  
ruditatis junioribus adeoq; & mihi familiarissimæ,  
immò propriæ; Non ignarus inquam iudicii ab  
*Aristotele*, de *Απειρία* & inscitiâ minorennium lati, Non  
immemor itaq; impotentiaæ meæ ad expediendum  
animi votum inidoneæ, *Convocabam* itidem seu quod  
decentius, conveniebam concilium virorum Expe-  
rientiâ, Eruditione & Ingenio Clarissimorum, ubi Ju-  
dicii inopiam ingenuè professus, idem quod Miner-  
va à scientiis *imperiosè*, ego ab eis *officiosè*, descriptio-  
nem puta Mortalis efflagitabam. Audiebam itaq; ex  
classe Græcorum, Eum, quem humanæ admiratio-  
nis Terminum credidit *Vernulatus*, *Homerum*, qui versi-  
bus (α) hisce binis me bellè sanè informabat:

ἔ μὲν γάρ τι πρῶτον εἰζυρώτερον ἀνδρὸς  
πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ὀπιπνεῖται τε καὶ ἔρπει.

Audiebam Eum, qui unus ex tribus illis sapientissi-  
mis Gentilium omnium perhibetur, Euripidem (β)

πᾶς δ' ὀδυνηρὸς βίος ἀνθρώπων.

Audiebam *Lucianum*, (γ) qui aliquando collocutos  
referebat, *Philonidem* & *Menippum*, eoq; in dialogo, hunc  
hæc hominibus dedisse Epitheta. ἀθλιοὶ καὶ κακοδαίμονες

Audiebam ex *Senecá* (δ) de *Amphitryone*, quod *Lycum* suum  
congerronem ita instruxit, *Quemcunq; miserum videris*  
*hominem scias*; Audiebam tandem rursus (ε) *Samosatensem*,  
ita suum ordiri & auspiciari sermonem. χαλεπὸν μὲν  
αὖ-

ἀνθρώπων ὄντα δαίμωνος γινος ἐπήρειαν διαδουγείν.

Quæ singula, si accuratius excutio, quàm quæso  
vera? Video enim quam verissimè miseri Mortales,  
omnibus ærumnis, omnigenis periculis, variisq; for-  
tunæ fatiq; jactibus sint expositi, quàm frequen-  
tissimè alius morbis excrucietur gravissimis, alius felici-  
tate exuatur omni, tertius deniq; mortem subeat su-  
bitam. Meritò lanè cum *Friderico Taubmanno* (ζ) Poëtâ  
hujus seculi celeberrimo verba hæc ingemino: *Quid*  
*nos minuti gurguliunculi, imbellis inquam massa caruncula?* Quot  
quot enim agimus *ALEXANDROS*, & non (η) ob mala ob-  
tingentia mortem nobis ipsis consciscere molimur, sagittis (θ) traji-  
cimur, poculum letbale (ι) exhaurimus, usq; dum semianimes tolla-  
mur tantq; dolore, ut in ferro remedia queramus, excruciemur,  
misereq; ita (κ) animam expiremus? Quotquot agimus  
*SELEUCOS*, id est (λ) facta nostra non humana esse opera quæ  
verba sunt ipsius, sed munera divina gloriamur, & non igna-  
ri prorsus, non multò post fragilitatis humana exempla reddimur,  
per insidias circum venimur, & inopinatò exanimamur? Quot-  
quot agimus *PHARAONES*, & non in mare rubrum  
præcipitamur? Quotquot agimus *GOLIATHOS* & non  
spe citius consternamur? Quotquot agimus *CRAS-*  
*SOS*, & nō tandem stipem (μ) turpissimè petim9. Quot-  
quot *COEPIONES*, id est, quotquot *Præture* (ν) Splendo-  
rem, triumphæ claritatem, consulatus decus, Pontificatusq; sacerdo-  
tium nanciscimur, & non in vinculis publicis spiritum deponimus,  
corporaq; nostra funestorum carnificum manibus lacerata, magno  
cum totius fori mundani horrore conspiciuntur? Sumus *PO-*  
*LYCRATES*; Omnes nostri (ξ) conatus placido excipiuntur  
itinere

invenire, spes etiam certum rei cupita apprehendunt fructum, quæ  
de Samiorum Tyranno prædicat Valerius, vota nuncupantur si-  
mul & solvuntur, velle ac posse in æquo ponitur, Semel etiam  
nonnulli duntaxat vultum perquam brevi tristitiæ salebrâ suc-  
cussum mutamus; sed cursum eum felicitatis prosperum plenis  
annè semper velis tenere valemus? Quin imò; ut po-  
stremum in excelsissimo ærumnoli montis vertice cruci atro-  
cissimè affigamur. Quid (o) DIONIBUS nonnè prosperas eo-  
rum atq; inopinatas res quas refert Cornelius Nepos, ut pluri-  
mum subita sequitur immutatio: Cùm fortuna suâ mobilitate,  
nos dicimus Deus pro sapientissimâ suâ voluntate pau-  
lo antè sublato demergere non rarò adoriatur. Quid DIONYSIIS.  
(ω) quamquam totius Orbis tyrannidem accipiunt, quamquam  
maximarum sunt opum, quamquam Exercituum Duces, Classium  
rectores, Equitatuū Potentes tandē tamen dignitatibus his nihil  
obstantib; propter inopiam literas puerulos docere fato satis sini-  
stro coguntur. Usq; adeò caduca nimium hæc pro arbitrio Valerij  
Maximi, (ω) & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundis, quæ  
vires atq; opes humana vocantur, Affluunt subitò, repentè dilabun-  
tur, nullo in loco, nullâ in personâ stabilibus nixa radicibus confi-  
stunt: sed incertissimo fortuna flatu, nos Christiani dicimus  
consideratissimo Dei permissu huc atq; illuc acta; Quos in sublime  
extulerunt, improvise decursu destitutos, profundo cladum mise-  
rabiliter immergunt. Sed & Experientiam dubii illam vi-  
etricem in subsidium vocemus. Illa si omnia ea, quæ  
oculis suis, ætatum singularum acta pensiculatè ob-  
servantibus, observavit recensendo pertexere debe-  
ret, exordiando deficeret, nosq; perpetuos sibi Audi-  
tores manciparet; E a propter saltem nos remittit ad  
Fata.

Fata miseræ humanæ pauciora, & ea notoria; Remittit ad excidium, quod Christus Ipse efferæ Recutitorum propagini ominatus est, nempe *Hierosolymitanum*, remittit ad Clades nobis pro dolor! nimis quam obvias, Regionum scilicet, urbium vicorumq; nostrorum; Inter ea autem quam maximè ad HEXAPOLIN illam origine antiquissimam, frequenti aduersitatis fato exercitatissimam, & per annos, non dicam ætates benè multas, afflictissimam, LAUBAM putate, quam nuperrimè ab incendio fata tristia! repentino, trihorio penitus absumtam audivimus, vidimus, doluimus.

Et Eum Reipublicæ Laubanensis casum tristissimum, ut vobis *Auditores Spectatissimi* pro impotentia meâ juvenili delinearem, movit dolor ortus ex miseria Cognatorum & Mecœnatum optimè mihi cupientium pessimè verò semetipsos habentiū: movit de prædicanda Eorum in me immeritum benevolentia collatio, quâ per biennium humanitatis facilitatisq; Christianæ officio egregiè perfuncti, me alere, educare & humanioribus informare non recusarunt. Movit, non diu adeo viri cujusdam Laubanensis Nobilissimi, Amplissimi, satis gratiosè, de commodâ studiorum prorogandorum promotione facta promissio, quâ status publici fortunatoris me voluit partiarium. Sed quam sæpè conanti canina immittitur scæva. Movit deniq;, in quo cardo præsentis instituti præ-

præprimis vertitur, summa vestra Viri Christiani in  
populares meos exhibita dolentis vestri & commi-  
serantis animi testificatio, dum fortunam eorum ad-  
versam non modo ægrè tulistis, sed illis quoq; admi-  
nicula satis larga erogastis. Mihi itaq; de calamita-  
te hâc Laubæ, de ortu ejus & extruptione, paucisq;  
aliis concisè dicturo, annumq; quod dicitur in men-  
sem contracturo patulis iisque patientibus adestote  
auribus, meamq; si hâc in re collocatam operam mi-  
nus probatis, ne saltem studium, voluntatem, ani-  
mumq; erga Evergetas meos gratissimum impro-  
betis.

Communis hæc fuit sententia & ea non a-  
deò inconueniens, de nomine Lauban, quâ illud e-  
jusdem cum Lusatia nomine originis esse asserue-  
runt. Vocabulum autem **Lusis** seu **Lusis** idem signifi-  
care creditur, quod dumetum seu locus lignosus, in-  
deq; eam ita dictam volunt, quod regiones circum-  
jacentes abundantia lignorum sola superabundave-  
rit. Unde incolæ Lusatia seu **Lusiker** / **Lusiker** / & **Lusa-**  
**ber** / id est Luci nemorisq; possessores dicti. Pariter  
itaq; ac Regioni, Lubæ etiam, quæ Lauba nunc audit,  
copiam lignorum nomen imposuisse perhibetur.  
Siquidem Syllaba prior LU in lingua Schlavorum  
liguam designat, & quia circa civitatem commemo-  
ratam arboretum uberius ac alibi repertum fuit, in-  
colæ ejusdem Schlavi, nomine eo eam designârunt.

B

Ex-

Exstructam autem fuisse eam anno Æræ Christi-  
stianæ *nongentesimo* hinc luculenter colligitur. Quan-  
quam ante Pagus fuisse refertur, quē Magistratus tūm  
ob situm commodiorem, utpote ad fluvium, Quissum,  
qui propē eam defluit, tūm etiam fines regionis pago  
proximos, quo munitus probè & circumseptus ibi  
esset locus, & is confugiū uti vicinis ita quoq; accolis  
omnibus, ampliandum vallandū & exornandū cura-  
vit, donec incrementa sum sit, urbes non paucas ex-  
æquantia. Parens Ejus seu Genitor fuit *Comes quidam*  
*Brandenburgicus, nomine Albertus*, qui anno supra dicto  
eam fundavit, fundatamq; fato fungens hæredi suo  
exaugendam tradidit. Quanquam sint, qui aliter de  
re hæc ferram ducant; cum verò propositi nostri non  
sit singula exquisitissime perscrutari, sed modo  
*παρὰ τὴν ὁδοιπορίαν* attingere, potius ad metam ad quam  
tendimus, collineamus.

Meritò autem idem quod RHETORICA vitam  
humanam esse suprà interpretabatur, Urbem no-  
stram laudatam fuisse ediffertaremus, videlicet  
*Orationem*. *Exordium* namq; ejus itidem fuit *nasci*, *Narratio*  
vero *dolere* Id quod testatur anno à nativitate Ejus o-  
ctavo habita durissima eaq; pertinacissima *Ducum Glo-*  
*goviensium* obsidio. Testatur *Hussitarum* populi inma-  
nissimi crudelissimi & sanguinolenti nimis quam a-  
trox devastatio, spoliatio animæq; omnis in eâ de-  
gentis tristissima & maximè cruenta trucidatio, de  
quo fato miserando hæc nata sunt verba:

*Bis*

*Bis septem exierant à Christo secula nato,  
 atq; quater senus cum tribus annus erat.  
 Zisca ferox Urbem collecto milite cepit,  
 captaq; pro spolio, mœnia, miles habet.  
 Cæduntur pueri, matres, juvenesq; senesq;  
 Et volitant toto frustra cruenta foro.*

*Narrationem fuisse Dolere, testatur mæstissima eaq; im-  
 provisâ totius urbis Anno à præcedenti infortunio  
 quingentesimo octogesimo facta deflagratio; Cujus  
 Monachos fuisse autores hæc nobis clamat ratio. Cùm  
 nebulones illi impuri vitam suam beluinam, libidi-  
 nosam, & planè Diabolicam brevi & severè castiga-  
 tum iri opinarentur, cives omnes cum inquilinis in  
 communem scelerum luitionem rapere non eru-  
 buerunt. Horatio opus fuisset, qui quod de Regibus  
 olim cecinit, itidem famæ proposuisset, invertisset,  
 inq; socios istos lectissimos, ut quorum gratiâ uni-  
 versa Civitas jacturam fecit ineluctabilem, ita ac-  
 commodâset*

*(ρ) Cum delirassent Monachi, plectuntur Achivi.*

*Et hoc eis malum immissum est anno à salutis Repa-  
 ratione Millesimo Quadringentesimo Octogesimo Octavo.  
 Decimo autem vix elapso, denuò calamitas eos ve-  
 xavit intolerantissima; siquidem Luem contagiosam,  
 tria hominum millia ex urbe illâ de populatam esse,  
 dant verba sequentia*

*Nulla prius talem viderunt secula pestem,  
 nam ter mille hominum, tum periisse ferunt.*

*Cogitate nunc Viri Optimi, an in ullâ unquam! Oratione*

copiosam adeò proh dolor! & spaciosam observaveritis *Narrationem* ac in urbe nostrâ orationi comparatâ. Pergimus. Eheu! quam horrendum apud eam iterum divertisse discrimen cognoscimus, dum anno abhinc *Centesimo quinto* luctuosissimum eos planè operuit incendium, adeò ut perpetuam urbi sepulturam minitaretur. Attamen DEO ei, quippe filix suæ dilectæ, paternè favente speciosissima rursus sumserat incrementa, compositissimè erat restaurata, reedificata & ad florem adspirante gratiâ divinâ fermè eveccta. Sed quid non invidiosa fatorum destruit acerbitas? quid non tenacissima illa felicitatis æmulatrix demolitur?

Demum Boni *Laubanenses* præteritæ hebdomadis feriâ quintâ festum recoluerant Eucharisticum pro Clementi & verè paternâ incendii protectione, ubi memoria calamitatis ejus, cujus paullò superius mentionem fecimus, redintegrabatur, & ô miseros! sequente Dominicâ idem illud eos iteratò angit & frangit infortunium. Paucis antè horis *Mystagogus* eorum vigilantissimus propria Christianorum occasione Evangelii eis annunciaverat, verba nimirum Christi *Ejulabitis & lamentabimini*. Et non multò post miserabiliter *ejulant ac lamentantur*? *Mysta* idem admodum Reverendus cum calcar addidisset Concioni congregatæ, ut de continuanda Nominis divini *αεγνοία* sollicitarenrur, inter alia fideliter monuit, ut DEUM sincero præprimis ferventiq; animo flecterent, ne gratiam  
suam



suam in conservandis bonis ipsorum, & eis ipsis, nimis  
quam sollicitam, indignabundus remittat, mentem enim  
suam discrimen ingens praefagire & odorari. Et ecce  
quam verissime! Fœmina itidem per tempus numero-  
sum mente capta articulatè, Stentoreâq; plusquam voce  
paullò ante Vulcani adventum indixerat, & intimando  
certis quibusdam domiciliis prænunciaverat: Sed ex his  
fidem *Herodoto* habendam perspicimus, dicenti (σ) Φιλέει  
δεκωσ προσημαίνεν, εὐτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλι, ἢ ἔθνεϊ εἶσεσθαι.

Exortus autem miserrimus ille de flagrationis cele-  
berrimæ casus, ipsâ *Dominicâ Jubilate*, quæ bina præ se fert  
*χειρήρα*, alterum temporis, annus enim is quem hodiè  
numeramus ex voculis *DoMiNiCa iVbiLate* colligitur,  
alterum verò prædictionis evidentissimæ ab ipso *Chri-  
sto* pronuntiatae, cujus verba superius recitavimus. Ve-  
rum enim verò omnes mortalium conatus, alium etiam  
scopum figentes, ad voluntatem *DEI* exequendam,  
quanquã hominibus insciis concurrisse, deprehendim⁹.  
Multa enim Societatis civicæ portio, imò plurima ferias  
agebat nundinales, easq; in urbib⁹ distantissimis, quod  
verò residuum erat incolarum cultui divino in fano suo  
suburbano litabant. Quid interea? exardescit desubitò  
domus quædam adportam quam dicunt *Gorlicensem*,  
insequitur derepentè insurgens ventus impetuosus, qui  
flammas emergentes, collucentes & quasi ovantes exci-  
pit, exceptasq; *Proh DEum!* vicino *Restioni* transportat,  
ibiq; cum undantes flammaram habenas laxâset, stupæ  
floccos flammantes in *Urbem* ipsam devolvit, disjicit, &

ta oppidum universum Vulcano depascendum com-  
mittit. Oriuntur indè lessus puellulorum domi relicto-  
rum tristissimi, discurrunt miselluli, quò fugiant nescii,  
tantisper dum vocalis ille e planctus ad eos qui modò, quæ  
patris sui sunt, curabant, penetrat, ubi heu! quantus  
emergit gemitus, fletus, luctus, quantus fit rumor, quan-  
tus strepitus, quantus ejulatus. O durum casum! Involat  
quisq; fores ædium sacrarum, ut primus evadat, id quod  
nisi cedat, queribundi sibi invicem, quod alii propter ali-  
um extemplò exire non liceat, indignantur: Eluctati tan-  
dem per ostia sacra ecce, totam urbem æstu flagrare per-  
spiciunt. O Infortunatos, ô miserandos! properant itaq;  
festinatò ad domicilia, properantibus autem que-  
ruli occurrunt filioli, quorum unusquisq; suos quæritant  
vocitantq; parentes, sed eos præ stupore immani negli-  
gunt, & ita inconsideratè præterire sciunt. Illi interim fe-  
stinant suum quisq; petentes habitaculum, sed multi e-  
lusi, aliud, ingenti quippe animi consternatione percul-  
si, intrant. Matres sollicitantur de liberis, quos ubi non  
reperiunt, (reperire autem, quia præterierant, nequi-  
bant) oppidò ejulant, de natis & natabus amissis que-  
runtur, & ita gemebundæ sub flammis oberrant. Patres,  
ut qui animosiores paullò, excutere & restinguere fonti-  
bus ignem connituntur, sed in cassum! sed frustra! Vires  
enim si æstus à vento nanciscatur subsidiarias,

(τ) *ne! sibi tum curvis malè temperat unda carinis*

*ne! sibi tum tectis malè temperat ardor adustis.*

Cernentes itaq; quod (υ) *Expectata seges se vanis ludat aristis.*  
consilium mutant, suosq; disquirunt & evestigant. Ea  
autem

autem omnia agunt quasi à se ipsis alieni, ideoque quicumque eis offertur infans, eum suum esse opinantes securum in locum transferunt, translatum autem aspectantes, suum non esse comperiunt. Et ita denuò eorum augetur agitatio. Alium vice versâ expiscatur Marita, quem vicino opitulari reperit, cum tamen propria domus liberatione ab incendio quàm maximè opus habeat, visum autem eum vocat, & secum domum perducit, at ubi perveniunt eodem miselli, fores suas igne cinctas intrare sibi impossibile esse contemplati, effuso cum luctu recedunt. O malum plusquam Ogygium! Porrò quid animi fuisse putatis Auditor, Honoratissimi, Reverendis Ecclesiæ Scholæque Ministris cernentibus ingentem fati molestiam, & injuriam in se etiã truculenter debacchari, se propriis expellere, & omnibus rapidissimè privare? Quid senibus? nonne deploraverint, DEUM vitam suam ad tanti excidii miseriam prorogasse, cum præterea ob senectam & comitem ejus sint afflictissimi. Quid ægrotis? nonne cum Jobo impatientiæ Spiritu acti diem suum natalem execrati fuerint? Quid gravidis? Quid lactantibus? quid lactentibus? Observassetis ibi quomodo torres flammantes homines divagantes afflixerint, quomodo alius sine pileo, aliùs sine pallio, alius discalceatus oberraverit: quomodo flammæ alius capillos, alius collum, alius subuculam, & vultum vestitus totum adortæ fuerint, quomodo forma antè conspicui, nunc tetri, formidolosi, & horribiles apparuerint. Audivissetis pecora miserrimè ululantia, mugientia, balantia, vidissetis

tis

tis anseres, gallinas, gallopavones, & plura volatiliū  
circumvolitantia, lamentantia, seq; ipsa in flammās præ-  
cipitantia. O fati inclementiam!

Attamen DEUS Clementissimus quæ immensa  
Ejus est, mediâ etiam in iræ executione, misericordia, o-  
mnes præter viduam unam absq; vitæ discrimine evade-  
re annuit. Pleriq; enim in montem non procul ab urbe  
distantem confugiunt, ubi uxoribus & liberis ibidem  
opperientibus, leffibus excipiuntur cumulatissimis. In-  
bi verò illi ex Doctis laborem suum & sudorem multis  
noctibus multisq; diebus sibi constantem, manuscripta  
putate, in aëre agitari dolentissimè conspiciunt. Percipit  
ibi Paterfamilias fragorem domorum, turrium & fasti-  
giorum corruentium. Percipit succidiarum sub cœlo  
 sese librantium, polentarum & universæ rei familiaris  
 crepitus terrificos. A latere urget conjux, de pede, bra-  
chio, capite, collôq; ambustis sollicita! Amplexantur sur-  
culi quassati, tremuli, præ lacrymis dolorem suum testari  
non valentes. Deniq; & ipsa corporis membra, violenti-  
am illatam, in incendiis iniquitatem, fatiq; acerbiter  
collacrymant, medelamq; anxie emendicant. Alios Pa-  
rentes acrius adhuc calamitas illa conficit effusissima, si-  
quidem, quod lamentabile, pignoribus suis charissimis,  
filiis penitus orbantur, quanquam eos non multò post  
redipiscuntur, interim tamen mæstos ejusmodi depro-  
perant quiritatus. O Deus, o Deus quàm intolerabili-  
ter flagello excandescentiæ tuæ vermiculos cædis im-  
poten-

potentes! quàm gravissimè! quàm effusissimè! Non a-  
 mictu tantum & victu sortis duræ iniquitatem, exuere  
 me iussisti, sed sanguinem meum, bona vitæ hujus & so-  
 latium unicum eripere unà permisisti. O me afflictissi-  
 mum! O miserrimum! O vexatissimum! O infelicem  
 horam quæ nascentem toleravit, non verò è vestigio ex-  
 animavit. Cui expensum nunc feram, quod omnes ma-  
 lorum in me unum confluant iliades, quod sortem subire  
 cogar vel hosti miserandam. Adeò Auditores Honora-  
 tissimi procella infelicitatis admodum sæva amicos ve-  
 stros, meos verò cognatos & Meccenates mari infortu-  
 niorum imersare attentabat. Quin imò, quod *συμπάθειαν*  
 meretur vel maximam; Die infelicissimè exacto parvu-  
 li Quirites flagitant, rogitant, enixèq; panem postulant,  
 postulant potum, sed quem petitio eorum, vel Barbaro  
 misericordiam ciens apud parentes invenit locum? Nul-  
 lum! Hinc cujusmodi sequutus sit planctus facilè præsu-  
 mendum? Sed quid multis fatum iniquitatis insimulo,  
 atq; ipsum se plus Justo Bonos LAUBANENSES excru-  
 ciâsse, emacerasse & concussisse fatetur. Porro

(φ) *Nox erat & terras animalia fessa per omnes*

(χ) *Lenibant curas & corda oblita malorum.*

at quid illi? minime; Nondum enim affectum eum cru-  
 distimum concoxerant (quod suo etiam seculo depre-  
 hendit Philosophus quidam, qui ita *λύπης δὲ πένθους γίνεσθαι*  
*ἰατρὸς χρόνος*) adeoq; somnum dare ocellis, quamvis liberi,  
 membraq; corporis acerrimè fatigata anxie expeterent,  
 potes non erant: Angustiam annè intensiorem & tristio-

C

rem

rem in mortales cadere posse credam? Tantum enim abest, ut non inter casus omnis generis gravissimos familiam hic ducat, ut ad magnitudinem ipsius nihil omnino accedere unquam valeat. Nec utut cunctorum *Simonidum* in permovendis hominum mentibus conferretur virtus, misericordiam tantâ calamitate condignam citum iri mihi persvadeo. Siquidem plurima narrantem, plura perpetuò me obruent, Ea vero ne inertiam potius quam brevitatis studio defugisse videar, tribus, quod dicunt, verbis absolvam.

Noctem quidem Sol oriens fugârat, ast minimè necessitatem, ea enim die sequenti gravissimè recrudescibat, ut pote, cum in urbem seu ruderâ potius concessissent, omnia reperiunt prostrata, jacentia, & ad extrêmum confusa. Cernunt arbores, quas Ter. Optim. Max. habitu decoraverat *hilari*, ab incendio indutas esse *tristi*. Cernunt culmina ædium antè *eximie picturata*, nunc *turpissimè infumata*. Cernunt pinnas Turrium aliâs *ardua secutas*, nunc *ima petisse*. Cernunt vicos alioquin *spaciosos*, redditos esse *angustissimos*, ruderibus quippe refertissimos. Summatim.

*Candida quæ fuerant modò mœnia, nigra jacebant,*

*ardua quæ fuerant modò culmina, lapsa jacebant,*

*Splendida quæ fuerant penetrata, adusta jacebant.*

O tempestatem rerum turbatissimam! O lacrymabilem! O vulnera fortunæ præsentissima! O violentiam incendii exitiosam magis quam, operosam! O turbines fati nimis quam funestos! vera esse *Hesiodi* verba

(p) πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ τεύχεα.

Una

Una vah! Lauba convincit, ô civitatem infausto sub  
fidere ortam, ô revera quartâ Lunâ natam!

Colligitis itaque mecum *Auditores Patientissimi*, quas  
vices malorum ancipites boni isti *Germani* pertulerint,  
*Germanos* dico, *germanam* enim eos fovere mentem vel eò  
constat, quod mores probatiores â Majoribus traditos  
solennissimè hactenus observaverint, quod cultum, quâ  
vestitum, antiquitatis simpliciolem, non ut alii temerè  
mutaverint, correxerint, & ex toto rejecerint. Nemo  
proinde putâsset quod fortis vehementia, in Cladem  
ejusmodi vix medicabilem eos præcipitatura, hæreticis-  
que & osoribus deridendos propinatura foret. Quo-  
quo enim se verterint omninò *Ἰπὸ χαρπενάκων* plus grato  
audierint, conspexerint. Eamq; hodiè adhuc boni LALL-  
BANENSES sentiunt sortem, quanquam nondum du-  
rissimam. Durior enim quod prior tranquillitatis, pacis  
otiiq; honesti tenor penitus adeò subrogatus, quod sub  
dio quietem hactenus capere adigantur. Ægrius sanè, i-  
mò ægerrimè habebit Viros doctos, & ex eis quam ma-  
ximè *binos*, quorum *alter* de Ecclesiâ, *alter* de Scholâ per  
tres octaeterides & quod excurret, præclarè meriti, ex  
quibus ille *Venerandus Ecclesiæ Minister* ex Museo libris re-  
fertissimo tres fortean aut quatuor reportavit. Hic verò  
*Venerandus* itidem *Scholæ Director*, non pridem adeò *Præceptor meus*  
*maximè observandus*, illustrissimâ Codicum copia momento  
quasi privatus. Ægrè dico habebit artifices, opifices &  
operarios, ignis fauces inexsaturabiles, instrumenta o-  
mnia ad laborem continuandum pertinentia rapidissi-

mē sibi eripuisse & deglutisse. Aegrē imō ægerrimē ha-  
 buerit eos qui abstulerunt, cum sævè ad eò suos domi af-  
 fligi, angustari & in arctum cogi resci verint. Oægerrimē,  
 repeto, habuerit *Virum Clarissimum*, quem suspico præsen-  
 tem de Republicā vestrā optimē merentem. Nec non  
<sup>ταύτην</sup> *Costam* ejus *Leetissimam*, imō omnes peregrē nunc agentes.  
 πῶς enim inquit *Homerus*, (χ) εἰδὲν γλῦκιων ἢς πατρίδος εἰ δὲ ποιέων.  
 Miro autem sibi esse ducunt, *Afflicti Laubanensium*, refecto-  
 rio & levamini. Quod DEI Longanimitas signa sibi de-  
 derit, & κελήρια extantiora & clariora, quibus non tam-  
 πωρείαν quam Paternam eam fuisse δοκιμασίαν eviden-  
 tissimē constet. Cum omni statui gratiam exhibue-  
 rint peculiarem. ECCLESIASTICO quidem, quod æ-  
 dem suam non funditus extirpaverit, sed omnia præter  
 rectū facta recta servaverit. Politico, quod senaculū, inq; eo  
 Pyctatia, Latercula & Tabularia gratiosissimē custodie-  
 rit. Oeconomico, quod providum Fatum cellas plerasque  
 cum cameris, fornicibusq; intactas & intemeratas reli-  
 querit. *Universo* deniq; statui, quod Director ille mentis  
 humanæ Valentissimus, vicinorum corda efficacissimē  
 moverit, ad commiserationem animaverit, & ad bene-  
 ficia suppetiasq; copiosissimē erogandas facillimos  
 reddidērit. Quam primum enim ad civitates nonnul-  
 las pervenit, summopere sunt connixæ, ut calamitosi  
 καδδύναμιν subvenirent. Pro quo DEUS eis omnibus colo-  
 niam Paradisi melioris elargiatur.

Sed



Sed & vestram Viri Christiani eis non defuisse o-  
 pem veritas ipsa profiteri me jubet. Quamprimum  
 enim ad aures vestras manluetas penetravit, eos indignè  
 adeò fortunæ vapulare & confodi flagellis, jacturâ eo-  
 rum ac propriâ, quod sanè decet Christianos, membra  
 quippe ejusdem corporis Christi, everberati, in suble-  
 vandâ eorum egestate fuistis quam promptissimi.  
 Δίκαιον (α) enim cum *Demosthene*, quæ verba ipsius sunt  
 duxistis, ἐλεεῖν ἕως πάρα λόγως δυστυχόντας, eorum scilicet, qui  
 calamitate inmerito conficiuntur? Et cum *Athenarum* (β)  
*Rege Theseo*. Cum & ipsi mala plurima senserimus, multisq; caput pe-  
 riculis objecerimus, minimè adducemur, ut fratres nostros af-  
 flictos ope omni non juvemus. Facto comprobastis quod  
 cum *Didone* apud *Maronem*: (γ) Non ignari malorum,  
 miseris succurrere egregiè didiceritis. Sed eam Vestram  
 promptitudinē faelicitatem & benevolentiam quo gratitu-  
 dinis genere erga vos Viri verè Christiani sum adæqua-  
 turus, quâ servitutis officiorumq; industriâ refusus,  
 quo præconiorum lituo, ut par est, ebuccinaturus. O-  
 mninò si commemorationē gratiæ tantæ exequi modo  
 meditarer, *Corona Laubanensium Erudita*, me Progeniem  
 Phaëthonteam non attendisse, quid valeant humeri,  
 quid ferre recusent, clamaret, Succineret HOMERO  
 nostro.

(δ)

Εαλέειν ὁ δὲ ἴστο  
 καὶ ἕως μὲν ῥα ἀφάρτα,

Ideoq; ne denuò aliquis surgat Maro deq; mæ, ceu  
 Ille

Ille super Æneide suâ asserat, Non ad opus hoc aggredietur, nisi mentis vitio laborare existimetur, satius duco magnitudinem tantæ Charitatis cum Timanthe silentii velo tegere, quam pauca & inferiora multò perstringere, proferre & imperfectè enumerare: Cumq; ita nihil quicquam, quod favorabili vestro & plusquam Christiano amori, vel quodam modo respondeat reperiam, me ipsum, si alicujus pretii esse putatis, totum Vestro ut adscribatis peculio, est quod humilimè contendo. Sed jam dudum tempus est abrumpendæ orationis, ne itaq; vos Auditores Honoratissimi, quorum plerorumq; animus publicorum negotiorum mole, quòd totus reor, est distractissimus, ulterius morer, doloris hujus debiti facta declaratio lampada pio tradat voto. Faxit Conservator Systematis Mundani sanctissimus, ut universæ Lusatorum omniumq; Christianorum regiones, urbes & quorumcunq; Largitorum DEum agnoscunt, à rabidis & rapidis Vulcani faucibus tutæ, illæxæ, & in o-lumes persistant, Vulnera civitatis Laubanæ pro paterno suo condicto Ipse Clementissimus liget, sanet, restituat, Interea autem fulcra Reipublicæ, Ecclesiæ, Scholæq; ipso licet exitii æstu quassata, nihilominus tamen immota, misericordissimè tueatur, firmet atq; sustentet, præprimis autem Eum, quem Atlantem & Asylum suum post Deum certissimum omnes *ὁμοθυμαδὸν* agnoscunt, Virum vobis Proceribus Budissinensium non minus familiarem, Civitatem verò ita restauret, ut lustris binis elapsis

psis cum illâ Æoliæ civitate sibi gratulabunda repetere  
audeat

### SUM PITANA.

Patronos etiam & Mecœnates facillimos DEUS  
Potentissimus excitet, qui jacturam librorum, quam ex  
Doctis, uti retuli, *Musagetæ bini ardentissimi* fecerunt, pro  
vinculo charitatis obligatissimo benevolè resarciant.

Vela legerem, nisi debito, vix vobis exoluto, denuo  
æternis me vobis iterum obærari meritis cognoscerem,  
idq; eò, quod occupationes Vestras gravissimas confi-  
deratè ad eò Palladis ac Musarum sacris diffindere, dolo-  
remq; vestrum erga malè habentes non exiguum mihi  
patienter attendendo, obscuramq; meam & insufficien-  
tem in dicendo facundiam, autoritate Vestrà & frequen-  
tiâ numerosâ illustrando abundè probare non dubita-  
veritis. Confidatis, quod tunc deinum ad voti culmen  
me conscendisse sim arbitraturus, ubi grande quod su-  
beo debitum meâ obsequiorum gratitudine non dico  
adæquare labora vero, sed æstimare modò ostēderò. Lit-  
tori itaq; vicinus antennas solvo, & ancoram figo.  
Valete Viri Optimi meq; Vestri Musarumq; alumnus  
faventiæ vestræ Favonio jugiter adspirantes, ad majora  
animate,

### Annotata.

(α) Lib. p. Iliad. v. 446, 447 (β) In Hippolyto v. 689. (γ) Tom. 1. In Dialog.  
n. ortuorum p. 299. (δ) In Hercule Furente. (ε) Tomo eodem, Dial. pro eo  
quod inter salutandum verbo lapsus fuerat. p. 517 (ς) In Melodasia. (η)  
Justinus l. 12. c. 6. (ι) Idem l. 12. c. 9. (κ) l. 12. c. 15. (λ) Idem l. 17.

c.11.(u) *Valerius Maximus* l.VI.c.9.(v) *Idem Ibidem*, (ξ) *Ibidem*. (ο) *Cornelius Nepos*. l.X.c. VI.(π) *Val. Max. l.X. .c.IX. In Externis*. (ρ) *Horatius* l.I.Ep.2.v.14.(σ) βιβλ.ζ.(ι) *Virg. l.I. Georg. v.360*. (υ) *Idem l.I. Georg. v.226*. (φ) *Virg. l.IV. Aeneid v.524*. (χ) *Idem Ibidem sed v.530*. (ψ) βιβλ. α. Ερμυγή και ωμειρών v.110.(ω) βιβλ. ιοδυσσειας v.32.(α) *In Oratione καὶ α' Αφοβον*. (β) *Sophoc. in Oedipo Colon*. (γ) *Virgil. l.I. Aeneid, v.639*. (δ) *Iliad. θ v.301.302*.







4  
Vc 3537

ULB Halle 3  
004 950 216



10-17

nc



7





DeVs ægrè habentl Ips  
DE  
FATO IN  
LAUBAN  
TRISTISSIMO PI  
TO ERGA MECOENA  
ADFECTU P  
ORA  
Dolorem suum ex Sorte Eorum  
& confessu Virorum Budissinensiu  
entis Millesimi, Sexcen  
simi N  
Die  
LAUR  
testaba  
Gottfried Wiesen  
Mekelnbu  
BUDIS  
Typis CHRISTOPHO

